

Antequam verò ad id accessus fiat, præmonemus paucissimis, non illam hominis Felicitatem sub incudem hic vocari, quæ Naturæ Benignitate conceditur, & vel in Animi, vel in Corporis Dotibus se exerit; Hæc enim uti à Naturâ venit; ita quoque nostra Prudentia obtineri haud potest, nisi hic respicere velimus ad Logicam, quæ mentis; & Medicinam, quæ corporis naturalibus vitiis aliqua ex parte succurrit: Sed de ea *Fortuna fabricanda erimus solliciti, quæ accessoria est, quæ Moralibus actionibus obtinetur, & Bonorum Fortune titulo à Moralis Philosophia Doctoribus vulgò insigniri solet.*

Hoc præmissis, duplex nobis ad Fortunam fabricandam Prudentia videtur requirenda: (1) *ut omnia nostra desideria ad sanæ rationis Trutinam decenter examinare;* (2) *ut desideria à Sanâ Ratione approbata prudenter implere valeamus.*

Primum Fortunæ Fabricandæ postulatum fecimus, ut omnia nostra Desideria ad sanæ Rationis Trutinam sciamus examinare. Hoc enim vel ex eo apparet necessarium, quod *Experientia comprobatum est, plerosque infortunium suum incurrere, cum omnia sine prævio Rationis Examine incipiunt, & cæco appetitu ad singula feruntur. Nisi igitur in Felicitatis via hæerere volumus, omnia sub rationis Examen revocari debent.* Optimè autem hoc instituitur, si rem
desi-